



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XVIII. De Mysteriis in horto. Ibid. Pars 2.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

tyres coronauit) Eadem tu vtere, si coronari peroptas.

XVIII.

De Myſteriis in horto. Ibid. Pars 2.

1. **ET** venit ad Discipulos suos (tres scilicet selectos) & inuenit eos dormientes, & dicit Petro, sic? Attende quid hæc breuis dictio significet, & quod ait Origenes, " Qui spiritualiter est, sollicitior sit ne magnum bonum ipsius grauem habeat lapsum.) Non potuisti (quasi aliorum culpa huic quasi superiori, certè fidentiōri, imputaretur) unâ horâ) duo sunt diminutiua) vigilare mecum, quem præter anteriora omnia, vidistis modò vsque ad mortem tristem, vigilate, & orate ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: quasi dicat cum Hieronymo, " quantum ex ardore mentis confiditis, tantum ex fragilitate carnis æquum est vt timeatis.)

2. Et iterum abiens orauit eundem sermonem, non certè latior ex suorum vigilanria, sed de euentu sollicitior, vnde
&

164 MYSTERIA PASSIONIS

& venit iterum, & inuenit eos dormientes, ³ erant enim oculi eorum grauari, & ignorabant quid responderent ei, & ⁴ relictis illis iterum abiit, & ⁵ auulsus ab iis orauit tertio, Pater si vis, &c." Tertio, inquit August. propter trinam tentationem.)

3. Et factus in agonia prolixius orabat, hoc est extensius, & intensius: Agonia autem orta est ex contentione vehementi ad superandum timorem quem assumpserat, & factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Hunc venerare; & sensu intimo amaritudinem animi Seruatoris tui degusta. Iunge te Angelo qui apparuit de Caelo confortans eum: perquire ea per quæ illi consolatio subministrari possit, & cum erecto humiliter sermocinare. Veni Domine & suscita dormientem, da posse vigilare tecum, vsque ad mortem, da spiritum promptum, &c. da spiritum orandi, semel, iterum, tertio: da vt sciam quid respondeam, & ne auellere, sed sis in fletu solatium, &c.